

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In  
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De  
Vnionibvs Electorvm S.R.I.**

**Hofmann, Johann Andreas**

**Ienae, MDCCLII**

**VD18 12896357**

Capvt XX. Devnionone Principatvum Electorvm, Et Ivrivm Eis Connexorvm.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18247**

miter promittentes, quicquid per antedictos Procuratores seu Nuncios nostros, nec non substitutos aut substituendos ab ipsis, seu eorum altero, in praemissis seu praemissorum quomodolibet actum, gestum seu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

*CAPVT XX.*

DE VNIONE PRINCIPATVVM ELECTO-  
RVM, ET IVRIVM EIS CONNEXORVM.

§. I.

**I**n nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, feliciter. Amen. Carolus quartus, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiae Rex, ad perpetuam rei memoriam. Cum vniuersi & singuli Principatus, quorum virtute seculares Principes Electores ius & vocem in Electione Romanorum Regis in Caesarem promouendi, obtinere noscuntur, cum iure huiusmodi nec non officiis, dignitatibus & iuribus aliis, eis & cuilibet eorum annexis & dependentibus ab eisdem adeo coniuncti & inseparabiliter sint vniti, quod ius, vox, officium & dignitas, alia quoque iura, ad quemlibet Principatum eorundem spectantia, cadere non possint in alium, praeter illum, qui Principatum ipsum cum terra, vasallagijs, feudis & dominio ac eius pertinentiis vniuersis, dignoscitur possidere. Praesenti Edicto Imperiali, perpetuo valituro, sancimus: vnumquemque Principatum praedictorum, cum iure & voce Electionis, ac officio, ceterisque omnibus dignitatibus, iuribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus, ita perseuerare & esse debere vnitum perpetuis temporibus indiuisibiliter & coniunctum, quod Possessor Principatus cuiuslibet, etiam iuris, vocis, officii, & dignitatis & pertinentiarum omnium ad illum spectantium, quieta debeat & libera possessione gaudere, ac Princeps Elector ab omnibus reputari, (ipseque & nemo alius) per ceteros Principes Electores ad Electionem & omnes  
actus





actus alios, pro sacri Imperii honore vel opportunitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione quolibet & admitti. §. 2. Nec aliquid praemissorum ab altero, cum sint & esse debeant inseparabilia, diuidi, vel vlllo tempore debeat separari, aut in iudicio, vel extra, diuisim repeti valeat, aut euinci, vel etiam, per sententiam separari, nec aliquis vnum sine alio impetens audiatur. §. 3. Quod si per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut processus, iudicium, sententia, vel aliquid huiusmodi, contra praesentem dispositionem nostram emanauerit, seu quomolibet attentari contigerit, hoc totum, & omnia ex his, & quolibet eorum sequentia, eo ipso viribus non subsistant.

### CAPVT XXI.

#### DE ORDINE PROCESSIONIS INTER ARCHIEPISCOPOS.

##### §. I.

Quoniam autem superius in principio constitutionum nostrarum praesentium, circa ordinem sessionis Ecclesiasticorum Principum Electorum in consilio & in mensa, & alias, quotiens Imperialem Curiam celebrari, seu Principes Electores deinceps cum Imperatore vel Rege Romanorum congregari contigerit, sufficienter duximus providendum, super qua praeis audiuimus temporibus pluries disceptatum. Expedire credimus etiam processiois & deambulationis inter eos ordinem diffinire.

§. II. Quapropter hoc perpetuo Imperiali Edicto decernimus, vt quotiescunque in congregatione Imperatoris vel Regis Romanorum, & Principum praedictorum, Imperatore vel Rege ipso deambulante, insignia ante faciem suam portari contigerit, Archiepiscopus Treuirensis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos Imperialia vel Regalia continget Insignia deportare.

§. III. Dum

